



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

§. 4. De privilegiis Inquisitorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

Maji 1622. *Barbosa, in Collectar. Bullarii V. Inquisitores.*

13. Porro Inquisitoris officium non expirat morte Papæ aut delegantis. *c. Ne aliqui 10. de Heret. in 6.* Sive deputati sint immediatè à Papa, sive ab aliis illo inferioribus. *Azor. l. c. cap. 18.*

§. 4.

De Privilegiis Inquisitorum!

I.

PRivilegia Inquisitorum sunt. 1. Quod non possint excommunicari à Delegatis Sedis Apostolicæ absque speciali ejusdem Sedis licentia faciente mentionem hujusce Privilegii. *urbanus IV. Const. VI. Inquisitoris.*

2. Possunt Inquisitores, eorumque Socii se invicem ab excommunicatione absolvere in casibus, in quibus absolvi possunt ab eorum Superioribus, & in iisdem casibus dispensare secum in irregularitate. *urbanus IV. Constit. ut negotium fidei.*

3. Possunt

3. Possunt indulgentias 20, vel etiam 40 dierum concedere omnibus audientibus eorum concionem occasione Apostolicæ inquisitionis, ex indulto plurimum Pontificum. *Eymericus in Directorio* 3. p. quest. 127.

4. Possunt interpretari statuta tam Ecclesiastica, quam secularia contra hæreticos edita. *Innocentius IV. Const. 15. Cum negotium fidei.*

5. Possunt Hæreticos ad Ecclesias confugientes capere, nec in hoc sub quovis prætextu ab Episcopis possunt impediri. *Joan. XXI. Constit. 1. Ex parte nostra.*

6. Ipsi & res eorum sunt immunes ab omnibus oneribus, datis, guidagiis, portibus, aliisque quibuscunque gravaminibus. *Royas de hæret. p. 2. n. 421.*

7. Pensiones reservatæ Authoritate Apost. S. Officio sunt immunes à solutione quindennii. *Carena de Offic. Inquis. p. 1, tr. 5. §. 13.*

8. Beneficia eorum sunt immunia à solutione decimarum *Carena l. c.* Atque aliis fruuntur Inquisitores privilegiis & prærogativis, quas *Royas de Hæret. part. 2. in Rubr. de Privil.* Inquisitorum enumerat omnino 145.

Inquisi

Inquisitores tamen & eorum Ministri percipere non possunt in absentia distributiones quotidianas Canoniarum, Dignitatum aut aliorum beneficiorum, nisi speciali privilegio aut indulto Apostolico, id illis fuerit concessum; Sic Sacra Congregatio Concilii & Congreg. S. Officii teste Garcia *de benef.* p. 3. c. 2. n. 256. & Carena *l. c.*

Nec excusat Inquisitoris Officium Episcopum & Parochum à Residentia S. Congreg. Conc. apud Gonzalez. *in Reg.* 8. *Can. glos.* 43. n. 164. & Garc. *de benef.* p. 3. c. 2. n. 42.

9. Inquisitores Ordinis Fratrum Prædicatorum & Minorum non tenentur obedire Prælati suorum Ordinum in concernentibus Officium S. Inquisitionis. Alexander IV. *Const.* 23. *Catholica.*

10. Debetur Inquisitoribus Titulus *Reverendissimi*: tum quia delegati sunt à Summo Pontifice in causis fidei, quo ad jurisdictionem ad præcipuam partem muneris Episcopalis, tum quia hic Titulus tribuitur Vicariis Episcoporum, qui longè inferiores sunt Inquisitoribus in causis ad S. hoc Tribunal spectantibus. Nec obstat quod Congregatio S. Officii tribuat illis tantummodo Titulum, *Reve-*

Reve-

Reverendi vel *multum Reverendi*, nam hæc est Superior Inquisitorum, hinc tamen non deducitur nec à Subditis, vel aliis quibus Inquisitores non subparent, hunc titulum illis deferendum non esse. *Carena l. c. §: 6.*

§. 5.

De reliquis Ministris Sancti
Officii.*De Vicario Generali S. Officii.*

I.

Possunt Inquisitores plenariè committere vices suas Vicario Generali habenti eandem cum ipsis facultatem, excepta potestate delegandi, *Pius II. Const. Cum dudum, & Clemens VII. Const. Cum sicut. Carena de offic. inquis. part. 1. tit. 7. §. 1.*

2. De Vicarii Inquisitoris seu Commissarii ætate fuit inter auctores controversia, sed diremit eam Clemens VII. per Rescriptum: *Cum sicut*, in quo statuitur sufficere, si trigesimum ætatis annum attigerit.

3. Regulariter concedi solet Vicariis Generalibus facultas sumendi informationes.